

Sapientum Chaldaeorum interpretari potuit, Daniel vero, spiritu divino praeditus, veram eorum significacionem explicuit, quod singulari providentia Dei factum videtur, ut Nebucadnezar ejusque; populus ad veri Dei cognitionem Judæis revelatam pertraheretur. Constat quoque; Neaucadnezarem agnovisse Deum Israëlis, manifestum hoc est ex cap. II. Dan. v. 47. *Locutus est Rex ad Danielem, & dixit, verum est, quod Deus vester sit Deus Deorum & Dominus Regum, atque revelator secretorum, quia posuisti revelare secretum hoc.* Sed hanc veri Dei manifestationem transgressus est rex & populus ejus, fabricando statuam eamque; adorando conf. Dan. III. Manifestatus quoque; est Deus Israelis per Sadrach, Mesach & Abednego. conf. Dan. ibid., aliisque modis. Hanc veri Dei cognitionem neglexerunt Chaldae & alia quam plurima peccata commiserunt, imprimis in Judaeos, quos verum Deum adorare cognoverunt, crudeliter fævierunt.

*Et pœnam luet* ) Hebr. וְשׁוֹן & reus erit pœna. Vocis illius significatio patebit ex locis parallelis. Gen. XXVI, 10 dicit Abimelech ad Isaacum, *cur hoc fecisti nobis (dicendo) Rebeccam esse tuam sororem* ) parum abfuit, quin dormierit unus e populo cum uxore tua, & induxisses super nos וְשׁוֹן, pœnam vel reatum pœna. Gen. XLII, 21 dicunt fratres Josephi, in Ægypto à Josepho duriter habiti; *verè אֲשֶׁר־שָׁמֵן rei pœna sumus, propter fratrem nostrum, nam vidimus angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus eum.* Quandoque vox illa ipsam pœnam & devastationem Dei judicio immissam denotat. Sic Es. XXIV, 6 legimus: *Propterea maledictio divina desolavit terram וְיִאֱשֹׁם & desolatione punii sunt habitantes in ea, ideo exusti sunt habitatores terre.* Similem terrae Judaicae devastationem eadem voce